

EPISTULA LEONINA

CXXIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM VICESIMAM QUARTAM (124) !

ARGUMENTA

1. DE LABORINTO EBERHARDI BREMENSIS (*Thalia Vollstedt Tubingensis*)..04-09
 2. MOMO FABULA MICHAELIS ENDE LATINE REDDITA (II).....10-18

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
 SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
 centesimam vicesimam quartam.*

*Plurimum Tibi commendo relationem, quam **de »Laborinto«** carmine
 medii aevi didactico scripsit **Thalia Vollstedt**. Nam hoc opus, quo
 tractatur poetologia mediaevalis, usque nunc parum tractatum numquam
 in sermonem theodiscum conversum est. Eius auctor, qui vocatur
Eberhardus Bremensis poeta mirabili indole praeditus, magnâ
 misericordiâ affectus refert de miseriis magistrorum; dubium non est,
 quin aetate mediaevali iam pridem transactâ quaedam miseriae
 huiusmodi remaneant usque ad diem hodiernum.*

*Altero loco Tibi commendo alteram partem **Momonis Endeanae tunicâ
 indutae**; cum scio permultis hanc fabulam sermone recentiore scriptam
 placuisse, tum bene spero etiam placituram esse eiusdem versionem
 Latinam. Faveas, quaeso, interpreti Latino.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 124 tolle et lege et laetare
 et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat
 Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS
 Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
 die Veneris, 03. m. Mart., a.2017**



**OMNIA SPONTE FLUANT
ABSIT VIOLENTIA REBUS**

IOHANNES AMOS COMENIUS

(1592-1670)

THALIA VOLLSTEDT (Universität Tübingen)

**DE CARMINE AB EBERHARDO BREMENSIS PACTO,
QUOD INSCRIBITUR »LABORINTUS«**

Historia *poetologiae*, quatenus scimus, incipit aetate antiquâ. »Ποιητικὴ Τέχνη« ab Aristotele et »Ars Poetica« ab Horatio scripta sunt exempla adhuc popularia huius generis textuum, quod intellegitur esse poetologia litteris mandata. Aristoteles et Horatius disceptantes, quibus condicionibus contingeret, ut fieret poesis, praecipuê exposuerunt, quomodo materia eligeretur, disponderetur, elaboraretur necnon sermone efformaretur. Iam apud eos auctores apparet contrarietas, quae oritur eo, quod facultas poetae efficacis unâ ex parte refertur ad ingenium – quod apud Horatium apparet Musâ poetae favente – et alterâ ex parte ad praecepta perceptibilia observanda. Et Aristoteles et Horatius, licet concedant vim poetici ingenii, eo, quod rudimenta talium praeceptorum lectoribus proponunt, implicite affirmant poesin esse artem discendo perceptibilem.

Mediaevali autem aetate theoria litteraturae consideratur ratione aliâ. Nunc effectum fidei christianae poesis docetur inspirata esse spiritu divino. Ideo poesis, qualis erat *oratio vincita*¹, cum eidem attribuerentur qualitates divini ordinis mundi, maioris aestimabatur quam oratio prosaica, qualis praecipuê in usu fuerat oratorum antiquorum cottidiano.

¹ QUINTILIANUS, Institutio oratoria IX 4,19...Est igitur ante omnia **oratio** alia **vincita** atque contexta, soluta alia, qualis in sermone et epistulis, nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de philosophia, de re publica, similibusque.

Saeculo undecimo circumstantiis vitae politicis atque oeconomicis melioratis effectum est, ut toto cultu civili humanoque augescente ars poetica quoque operibus practicis theoreticisque denuo effloresceret. Praeter textûs ecclesiasticos latinê scriptos et publicê probatos etiam atque etiam conscribebantur opera profana linguis vulgaribus, usque dum ars poetandi fieret professio propria, quae aliquatenus valeret ad societatem. Cum autem genera litteraturae modo demum orientia, qualia sunt epicum genus heroicum et aulicum necnon genus amatorium, reverâ conscriberentur linguis vulgi coequalibus, textûs illius aetatis nôti, quibus tractabatur theoria litteraturae, adhuc scribebantur linguâ Latinâ.

De exemplis autem antiquis auctores huius aetatis iudicant ratione ambiguâ. Unâ ex parte clarê apparet eosdem sequi poesin antiquam, non solum in materiis eligendis (opus huiusmodi in regionibus linguae theodiscae certê notissimum est »Fabula Aeneae« ab Henrico de Veldeke scripta, quae originem repetit ex Aeneide Vergilianâ), sed etiam in subsidiis poeticis adhibendis. Ex alterâ parte auctores mediaevales etiam in poesi scribendâ pro certo habent se exempla antiquitatis et argumento et formâ superare.

Opera mediaevalia, quibus tractatur poetologia, sunt »**Ars versificatoria**« Matthaei Vindocinensis² et »**Poetria nova**« Galfredi de Vino Salvo³. In utroque opere unâ ex parte tractatur, quid poeta sentiat de se ipso, quatenus ad eum nunc valeant duae rationes inter se

² i.e. fr. *Mathieu de Vendôme*; theod. *Matthäus von Vendôme*.

³ i.e. angl. *Geoffrey of Vinsauf*; theod. *Galfrid von Vinsauf*.

contrariae, divina inspiratio et disciplina artis discendo perceptibilis, alterâ ex parte praecipitur, quo modo scribantur textûs praesertim poetici. Exemplo sunt antiqua opera artis rhetoricae didactica, sed nunc non iam agitur de textibus cottidianis scribendis, quales fuerunt oratio iudicialis suasoriaeve, sed de litteris elegantioribus.

Etiam »**Laborintus**« **Eberhardi Bremensis** (sive Eberhardi Germani) solet referri in numerum operum poetologicorum. Reverâ hic textus longas continet partes, quae spectant ad themata poetologica, qualia sunt apta structura textûs poetici, ratio metrica atque rhythmica aut figurae stilisticae, quas Eberhardus unam post aliam excerpit e »Rheticâ ad Herennium«. At hic textus relativê brevis – qui constat ex paulo pluribus quam mille versibus necnon appendice, cui insunt triginta sex strophae, quae singulae complectuntur quaternas lineas – continet etiam plura quam illa: e.g. in eodem indicantur libri, qui a discipulis legendi sunt universaliter erudiendis, enumerantur atque existimantur variae artes scientiaeque, necnon disputatur de arte linguae colendâ societatique iniungendâ.

Haec omnia circumvestita sunt amictu narrationis marginalis, quâ agitur de magistro scholari; quae narratio iam incipit antequam îdem natus est: *Natura* personificata magistrum futurum iam cognoscit in utero versantem et, cum sciret, quantae molestiae vitam acturo immineant, aegrê sustinet foetum talem efformare, ut in lucem êdi possit. Dum magister futurus nascitur, dea *Fortuna* iterum vaticinatur professionem infantuli fore infelicem. Deinde *Philosophia* filias suas, i.e. Septem Artes Liberales, advocat neonatumque mandat

Grammaticae, i.e. ei filiae, quae ceteris auctoritate praestat. *Grammatica* autem mammam dat magistro futuro eidemque suadet, quibus methodis docendi utendum sit et quid respiciendum sit de mercede postulandâ. Nunc apparet *Poesis*, quae appellatur ministra *Grammaticae*, et incipit orationem habere prolixam, quae est operis propria pars poetologica omnium gravissima. Hac oratione explicatur, quibus verbis aliqui textus scribendus aptê incohetur, quales sint artes *amplificationis* atque *abbreviationis* et variae figurae verborum cogitationumque, quae utiles sunt ad sermonem ornandum, affertur index operum commendabilium et exponitur poesis metrica. Deinde sequitur oratio *Elegiae*, quae queritur de studiorum magistri duritate et negotii cottidiani gravitate et ita statum rerum scholarium deplorabilem dilucidê describit. Auctor autem, cum vitam miseri magistri rebus futuris diffidens consideraverit, se convertit ad artem rhythmicam tractandam, quam illustrat exemplo Laudis Mariae, cuius strophas adicit; denique carmini finem imponit brevi epilogo.

In opere Eberhardi existimando praeter argumentorum ubertatem atque multipliciter verbis efferenda est sermonis elegantia. Eberhardus enim tam subtiliter scribit, ut ipsas figuras poeticas, quas tractat, saepe etiam adhibeat in explicando. Nescio an haec sit causa, quâ »Laborintus«, quamquam est unicum opus aevi poetologicum ab auctore Germano scriptum et, si comparas cum aliis operibus huiusmodi, non ita prolixum, tamen usque in hodiernum diem numquam conversus est in sermonem neotheodiscum. Talis versionis faciendae consilium conceptum est spatio semestri aestivo

anni 2014 in Universitate studiorum Tubingensi ab alumnis academicis seminarii *Doctoris Iustini Vollmann* participibus. Prima versio cruda orta est eo, quod septimanatim centeni ferê versûs convertendi attribuebantur participantibus, qui (Domino Vollmann incluso) erant numero quattuor, et omni septimanâ versûs translati inter se comparati existimabantur. Deinde m.Dec.a.2014 intra collegium quoddam doctorandorum Universitatis Tubingensis carmen Eberhardi accuratius a nobis tractatum est, idque in officinâ studiorum⁴ a Doctore Vollmann institutâ, cuius titulus fuit: »Poetologia inevitabilitatis – in Laborinto Eberhardi Bremensis«⁵. Nonnullas autem partes e versione nostrâ excerptas tam subtiliter retractavimus, ut aptae fierent ad disputationem gregalem in officinâ illâ habendam. Hac occasione datâ nobis in mentem subiit reliquam quoque partem versionis nostrae redigere ad formam aptam atque convenientem. Hoc facere coepimus spatio semestri hiemali annorum 2015 et 2016. Ex anno 2016 ineunte haec retractatio versionis maximam partem est perfecta. Hôc tempore Dr. Vollmann incumbit in commentarium operis scientificum perscribendum. In animo nobis est utrumque opus publici iuris facere.

(De historiâ generis textuum poetologici mediaevali, quam supra descripsi, partim certior facta sum relatione d.13. m.Dec. a.2016 a *Dorothea Laible* et *Karin Weber* factâ.)

Tübingen, 18.12.2016, Thalia Vollstedt

⁴ i.q. *workshop*.

⁵ originaliter: „*Poetik der Unentrinnbarkeit – im Laborintus des Eberhards von Bremen*“.

HANC SYMBOLAM THEODISCE SCRIPSIT

THALIA VOLLSTEDT

STUDIOSA DISCIPLINAE GERMANISTICAE ET RHETORICAE.

QUAE ALUMNA GYMNASII HUMBOLDTIANI ULMENSIS
LATINE ET GRAECE DOCTA UNIVERSITATIS TUBINGENSIS
NUPER BACCALAUREATU GERMANISTICO OPTIMA CUM
NOTA SUPERATO INCUMBIT IN POETOLOGIAM
MEDIAEVALEM LATINAM PERNOSCENDAM. SYMBOLAM
DISCIPULAE QUONDAM SVAE IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS.



<http://www.leolatinus.de/>

MOMO (II)

**aut fabula mirabilis, qua narratur de furibus temporis
deque puellâ, quae hominibus tempus reportavit**



FABELLARIS FABULA ROMANICA

QUAM THEODISCE NARRAVIT

MICHAEL ENDE

LATINE REDDIDIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

Prima editio operis originalis facta est a.1973.

PARS PRIMA

De Momone eiusque amicis

CAPITULUM SECUNDUM

Qualitas insolita et rixa perquam solita

Inde ex hōc tempore parva Momo bene se habuit, saltem quantum ei ipsi visum est. Nunc semper aliquid ciborum habuit, quod comederet, modo plus, modo minus, tantum enim, quantum casu ei dabatur, quod hominibus erat relictum. Momoni nunc erat tectum, quo obtegebatur, lectus, in quo dormiebat, et, quandocumque frigebat, poterat facere ignem. Necnon Momoni erat id quod plurimum valet: ei erant multi amici boni.

Sentias Momonem fuisse fortunatissimam, quod nacta esset homines tam benevolos, et Momo ipsa sic cogitavit. At mox iam apparuit homines ipsos non esse minus fortunatos. Qui Momone egebant et mirabantur, quomodo prius sine eâ vixissent. Puellula quo diutius apud illos erat, eo magis necessaria illis facta est, tam necessaria, ut timerent, ne illa aliquando abiret.

Itaque accidit, ut Momo saepe visitaretur. Ferê semper apparebat aliquis apud illam sedentem, qui cum Momone colloqueretur aliquâ de causâ. Si qui illâ egebat, sed venire non poterat, aliquem mittebat, ut illam adduceret. At si qui nondum animadverterat se illâ egere, alii ei dicebant: »Quidni abis ad Momonem adducendam!«

Haec sententiola paulatim et gradatim facta est locutio hominum in propinquo habitantium cottidiana. Ita ut dicitur »Optima quaeque!« aut »Bene sapiat tibi!« aut »Hoc sciat caelum carissimum!«, eodem modo dicebatur occasione quacumque »Quidni abis ad Momonem?«

At cur? Num Momo reverâ fuit tam incredibiliter prudens, ut sciret omni homini consilium dare bonum? Num illa semper invênit verba apta ad aliquem consolandum? Num illa scivit iudicia ferre sapientia et iusta?

Nequaquam, haec omnia Momo haud minus ignoravit quam omnis parvula alia.

Num Momo fortasse scivit aliquid facere, quo homines exhilararentur? Scivitne exempli gratiâ perquam pulchrê cantare? An scivit aliquo instrumento musico canere? An scivit – quippe quae habitaret in quibusdam locis circensibus – immo saltare aut artificia exhibere petauristarum?

Non, hoc etiam nescivit.

Num fortasse scivit artem magicam? Num scivit aliquam sententiolam magicam, qua fugaret omnes curas et necessitates? Scivitne futura praedicere manûs aspectans an alio quodam modo futura praedicere?

Nihil horum omnium scivit.

Quod Momo parvula scivit melius quam ullus alius, fuit hoc: Ea scivit auscultare verba aliorum attentissimê. Dicat aliquis haec legens hoc esse nihil extraordinarii, omnem hominem scire, quomodo auscultet.

At errat is qui sic sentit. Reverâ auscultare non sciunt homines nisi perpauca. Momo autem scivit auscultare more perquam unico atque singulari.

Puella enim sciebat tam bene auscultare, ut hominibus stultis subito in mentem inciderent cogitationes perquam prudentes. Non eo quod aliquid dicebat aut rogabat, quo alteri in mentem inciderent cogitationes tales, nequaquam, illa nihil faciebat, nisi assidebat auscultans summâ cum attentione verborum alterius particeps. Simul alterum aspectabat oculis magnis et obscuris, ut is sentiret in mente suâ subito cogitationes emergere, quas sibi inesse numquam erat suspicatus.

Momo sciebat ita auscultare, ut homines consilii expertes et incerti, quid facerent, subito scirent accuratissimê, quid vellent. Aut, ut verecundi subito sibi viderentur liberi et audaces. Aut ut miseri et oppressi conciperent et spem et gaudium. Si quis sentiebat vitam

suam esse prorsus nullius sensûs nulliusque momenti, seque neminem esse nisi aliquem ex milionibus hominum, aliquem, qui nihil prorsus valeret et in cuius locum tam velociter supponi posset alius homo quam olla aliqua in locum alterius diffractae, is homo parvam Momonem adibat haec omnia eidem narraturus. Īdem vir adhuc loquens modo mysteriali intelligebat se funditus erravisse, se inter homines omnes unicum atque singularem, ideoque in mundo speciali modo plurimum valere.

Ita vero Momo sciebat sermonem aliorum auscultare!

Aliquo die duo viri venerunt ad Momonem, qui mortiferê rixati nullo umquam modo inter se colloqui vellent, quamvis habitarent unus alteri propinqui. Ceteri homines illis suaserant, ut irent ad Momonem, nam omnino non oportere, ut homines inter se vicini viverent unus alterius adversarius. Ambo viri primo recusaverant, ne id facerent, deinde nolentes urgentibus concesserant.

Nunc autem hi viri sedebant in amphitheatro, taciti atque infesti, unus in dextrâ parte ordinum sedium lapidearum, alter in sinistrâ, et torvis oculis prae se prospectabant.

Unus ex iis fuit ille murarius, qui donaverat fornacem pulchramque imaginem florum, quae sitae erant in Momonis »mediano«. Hic vir nomine erat Nicolaus îdemque erat subio sursum cincinnato instructus. Alter vir vocabatur Iohannes. Qui erat macer semperque aspectu erat viri aliquatenus fatigati. Iohannes erat conductor cuiusdam cauponulae in margine urbis sitae, in qua plerumque nemo sedebat nisi nonnulli senes, qui per totum vesperum singulum tantum hyalum vini subbibentes inter se narrabant de rebus, quas olim erant experti. Etiam Iohannes eiusque uxor crassa amici erant Momonis eidemque iam saepe attulerant aliquos cibos bonos.

Nunc Momo cum animadvertisset unum virum alteri irasci, nescivit, utrum primum adiret. Ne ullum laederet, denique puella in margine scaenae lapideae consedit ab utroque viro aequâ distantiâ remota utrumque vicissim aspiciebat. Momo nihil faciebat nisi exspectabat,

quid fieret. Nonnullae enim res rectê non fiunt nisi spatio temporis sat magno – tempus autem erat unica res, quâ Momo abundabat.

Cum viri diu ita sedissent, Nicolaus subito surrexit et: »Abibo« inquit, »Equidem demonstravi me esse benevolum eo quod huc advêni. Sed vides, Momo, illum esse contumacem. Quidnam pergam exspectare diutius?«

Reverâ autem Nicolaus conversus est abiturus.

Iohannes autem: »Bene« inquit, »fac ut abeas. Necesse non fuerat te advenire. Scilicet me mihi non reconciliare virum sceleratum!«

Nicolaus aurem, cum vehementissimê erubisset: »Quis hîc est vir sceleratus?«, minans rogavit reversus.

»Repetas hoc!«

»Quotiescumque volueris!« Iohannes clamavit. »Tunc scilicet credas, quia tu es robustus atque saevus, fieri non posse, ut aliquis tibi dicat verum apertê? At ego verum dicam tibi et omnibus, qui idem audire velint! Bene, huc venito me necaturus, quod facere iam voluisti!«

»Utinam fecissem!« Nicolaus rugivit et manûs in pugnos compressit. »At nunc vides, Momo, quomodo Iohannes mentiatur et diffamet! Nihil enim feci nisi collari correpto istum conieci in lacunulam eluacram post istius gurgustiolum sitam. In eâ ne rattus quidem submergitur.« Ad Iohannem iterum conversus clamavit: »At doleo te adhuc vivere, ut apparet!«

Paulisper convicia indecorissima huc illuc clamabantur nec Momo invênit, de quanam re ageretur et quâ de causâ duo viri tam exacerbati unus alteri irasceretur. At paulatim et gradatim emanavit Nicolaum facinus illud indignum nullâ aliâ causâ commisisse nisi eâ, quâ Iohannes coram nonnullis convivis sibi duxisset alapam. Ante hoc factum erat, ut Nicolaus conaretur omnia vasa Iohannis diffringere.

»Istud omnino non verum est!«, dicens Nicolaus exacerbatê se defendit. »Unum tantummodo urceum parieti inieci, qui sic quoque iam egerat rimam!«

»At ille urceus fuit *meus*, intellegisne?«, Iohannes respondit. »Omnino autem tibi ius non est istud faciendi!«

Nicolaus autem reverâ sensit se egisse bono iure, nam Iohannes laeserat honorem Nicolai, qui esset murarius.

»Scin', quid ille dixerit de me?«, Momoni acclamavit. »Dixit me nescire moliri murum rectum, quia die noctuque essem ebrius. Necnon abavum meum talem fuisse, qui particeps fuisset Turris Pisanae Inclinatae¹ construendae!«

»Heus Nicolae«, Iohannes respondit, »Nihil feci nisi iocatus sum!«

»Bellule iocatus es!« Nicolaus dixit indignatus. »De tali ioco equidem non rideo.«

At apparuit Iohannem ioco pensavisse alium iocum Nicolai. Aliquo enim mâne ianuae Iohannis inscripta erant litteris ruberrimis haec verba: »Qui nihil fit, fit caupo«. Hoc autem Iohanni omnino non visum erat iocosum.

Nunc viri aliquamdiu tam graviter inter se rixati sunt, uter iocorum fuisset melior, ut iterum loquendo irascerentur. At subito rixari desierunt.

Momo eos magnis oculis aspectavit neuterque vir rectê intellexit, quare ab illâ aspiceretur talibus oculis. Num illa intra se viros irrisit? E vultu Momonis hoc non patuit. At viri subito sibi visi sunt se ipsos aspexisse in speculo, quo factum est, ut eos puderet.

Nicolaus: »Concedo«, inquit, »fortasse melius futurum fuisse, nisi illa verba ianuae tuae inscripsissem, Iohannes. Istud autem non fecissem,

¹ orig. der Schiefe Turm von Pisa; ital. Torre pendente di Pisa; hisp. torre inclinada de Pisa; fr. la tour penchée de Pise; the Leaning Tower of Pisa.

nisi tu recusavisses, ne unicum tantum hyalum vini mihi infunderes. Hoc recusasti contra legem, intellegisne? Nam semper pecuniam solveram nullamque causam habueras, qua me ita tractares.«

»Quam habueram certissimam!«, Iohannes respondit. »Nonne recordaris illam rem de Sancto Antonio factam? Ah, nunc compallescis! Illâ enim in re dolosius me deruncinasti, quam ut paterer.«

»Mene te deruncinasse?«, Nicolaus vociferatus frontem suam palmâ percussit efferatus. »Contraria res est facta! Tu enim me voluisti decipere, at istud tibi non contigit!«

Haec autem res facta erat: In cauponulâ Iohannis quaedam imago e pariete pependerat exhibens Sanctum Antonium. Quae imago erat typographema coloratum, quod Iohannes aliquando e periodico illustrato exsectum margine ornaverat.

Aliquo die Nicolaus hanc imaginem a Iohanne voluit emere – dixit eandem sibi perplacere. Iohannes autem callidê licitando tandem effecerat, ut is praeberet radiophonum suum pro imagine permutandum. Itaque Iohannes in sinu gavisus est, nam scilicet Nicolao istam mercaturam evasisse satis malam. Eadem autem est facta.

At nunc apparuit imagini parietique chartaceo intersertum esse schedinum, de quo Iohannes nihil sciverat. Nunc subito is stomachatus est deruncinatus. Sine morâ Iohannes postulavit, ut Nicolaus pecuniam redderet, quia eadem non pertinuerat ad permutationem. At Nicolaus recusavit, ne redderet; qua de causâ Iohannes ei non iam voluit aliquid in hyalum effundere. Sic rixa erat incohata.

Ambo cum nunc causam rei usque ad originem repetivissent, paulisper tacuerunt.

Deinde Iohannes rogavit: »Dic mihi, quaeso, quam sincerissimê, Nicolae – utrum ante permutationem scivisti de pecuniâ necne?«

»Scilicet me antea novisse, alioquin non permutavissem.«

»Ergo oportet confitearis me fraudatum esse a te!«

»Quatenus? Tunc reverâ nihil sciveras de pecuniâ?«

»Nesciveram, quod tibi affirmo salvâ dignitate meâ!«

»Scilicet. Ergo tamen me voluisti deruncinare. Nam alioquin quomodo postulasses radiophonum meum pro istâ chartulâ ephemeridis, quae est nullius pretii, heus?«

»Tu autem, quare de pecuniâ scivisti?«

»Videram duobus vesperis antea hanc pecuniam ab aliquo convivâ illic infixam esse, ut esset munusculum Sancto Antonio offerendum.«

Iohannes labia sua momordit. »Fuitne multum pecuniae?«

»Neque plus neque minus quam valuit radiophonum meum« Nicolaus respondit.

Iohannes autem cogitabundus »Ergo tota nostra litigatio«, inquit, »propriê de nullâ re agitur nisi de Sancto Antonio, quem exsecui ex ephemeride.«

Nicolaus caput suum scalpsit.

»Ita est«, fremuit, »eum libenter tibi reddam, Iohannes!«

»Hoc ne facias!« Iohannes respondit magnâ cum dignitate. »Quod permutavi, permutavi! Valeat manus porrecta!«

Subito autem ambo simul coeperunt ridere. Viri per gradûs lapideos derepserunt, mediâ in plateâ rotundâ graminibus obsitâ inter se convenerunt, amplexi sunt, invicem manibus dorsa pulsaverunt. Deinde ambo Momonem complexi dicebant: »Multas gratias tibi agimus!«

Aliquanto temporis post cum viri proficiscerentur, Momo diu illis valedixit manu significans. Quae erat valdê contenta, quod duo amici unus alterum sibi reconciliaverant.

Alio tempore quidam parvulus Momoni attulit avem canariam, quae noluit canere. Hoc erat Momoni mandatum multo difficilius. Necesse erat puellam avem per totam septimanam auscultare, usque dum tandem denuo vibrisset et iubilaret.

Momo auscultabat omnes, canes cattosque, gryllos bufonesque, immo pluviam et ventum in arboribus versantes. Et omnes ad Momonem loquebantur suo more.

Quibusdam vesperis, cum omnes amici domum abiissent, Momo diu sôla sedebat in magnâ plateâ veteris theatri rotundâ, super quam se porrigebat caelum stellis nitidum nihilque auscultabat nisi magnum silentium.

Hôc tempore Momo sibi videbatur sedere in magnâ conchâ auris, quae sonos capiebat mundi stellarum. Necnon sibi videbatur audire modos musicos submissos, tamen ingentes, quibus animus mirum in modum commoveretur.

Talibus noctibus Momo semper somniabat perquam pulchrê.

Nunc autem is, qui opinatur auscultare nihil esse extraordinarii, ipse conetur et experiatur, num tam bene sciat auscultare quam Momo.

FABULAM MOMONIS A MICHAELE ENDE CONSCRIPTAM

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM VICESIMAM QUARTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Veneris, 03. m. Mart., a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>